

ita me ab ea astute video labēfactarier,
 510 iam tum quom primum iussit me ad se accersier.
 roget quis "quid [rei] tibi cum illa?" ne noram quidem. 5
 ubi veni, causam ut ibi manerem repperit:
 ait rem divinam fecisse [se] et rem seriam
 velle agere mecum. iam tūm erat suspicio
 515 dolo malo haec fieri omnia. ipsa accumbere
 mecum, mihi sese dare, sermonem quaerere. 10
 ubi friget, huc evasit, quam pridem pater
 mihi et mater mortui essent. dico, iamdiu.
 rus Sunii ecquod habeam et quam longe a mari.
 520 credo ei placere hoc: sperat se a me avellere.
 postremo, ecqua inde parva periisset soror; 15
 ecquis cūm ea una; quid habuisset quom perit;
 ecquis eam posset noscere. haec quor quaeritet?
 nisi si illa forte quae olim periit parvola
 525 soror, hanc se intendit esse, ut est audacia.
 verum ea si vivit annos natast sedecim, 20
 non maior: Thai' quā ego sum maiusculast.
 misit porro orare ut venirem serio.
 aut dicat quid volt aut molesta ne siet:
 530 non hercle veniam tertio. heus heus, ecquis hic?
 ego sum Chremes. *PY.* o capitulum lepidissimum! 25
CH. dico ego mi insidias fieri? *PY.* Thais maxumo
 te orabat opere ut cras redires. *CH.* rus eo.